



194

L. VII 194



210/53

27 - 56

50  
RECTOR  
ACADEMIÆ FRAN-  
COFURTANÆ

M. CHRISTOPHORUS  
NEANDER, DOCTRINÆ  
MORALIS PROFESSOR PUBL.

Philosophicæ Facultatis SENIOR,  
& p. t. DECANUS,

Ad  
Iusta funebria,  
Quæ  
Pietate & doctrina Ornatissimo  
VIRO-JUVENI

DN. CHRISTIANO THEODORO

Gorlicensi, LL. Cultori, præmatura  
morte sublato,

Et  
Ex ædibus  
Clarissimi atq; Excellentissimi  
VIRI

DN. M. GOTLIBII PELARGI ORA-  
TORIÆ PROFESSORIS P.

die 5. Junij efferendo  
BALTHASAR THEODORUS SS.

Theol. Stud. defuncti frater & conterranei  
nomine Parentum mœstissimorum  
apparant,

*Omnes ac singulos Reip. Academica cives  
peramanter invitat.*

---

Literis MICHAELIS KOCHII An, 1638.

DN 9046061



Non abs re fuerit, si intumescentibus  
 bellorum ac calamitatum fluctibus, atque in-  
 gravescente variorum morborum conta-  
 gio, Epicuri sententiam, à Seneca tan-  
 toperè collaudatam, in mentem nobis  
 revocemus, qui ait: Meditare, utrum commodius  
 sit, vel mortem transire ad nos, vel nos ad eam; Cu-  
 jus hunc esse sensum, Seneca sæpe, ut Tertullus: eum  
 vocat, noster dicit: Mortem maturè addiscendam.  
 Supervacuum, pergit idem, forsitan id putas disce-  
 re, quo semel utendum est? hoc est ipsum, quare  
 meditari debeamus. Semper discendum est, quod,  
 an sciamus, experiri non possumus. Meditare mor-  
 tem, qui hoc dicit, meditari libertatem jubet, qui mo-  
 ri didicit, servire dedidicit, supra omnem potentiã,  
 certè extra omnem, quid ad illum carcer, & custo-  
 dia, & claustra? Una est catena, quæ nos alligatos  
 tenet; amor vitæ, qui, ut non est abjiciendus, ita mi-  
 nuendus est, ut, si quando res exigat, nihil nos deti-  
 neat nec impediatur, quò minus parati simus, quod  
 quandoquæ faciendum est, statim facere. Hæc quam-  
 vis à gentili dicta, nostris tamen hominibus sæpe ru-  
 borem incutere possunt; quotus quisque enim est, qui  
 animum suum ita obfirmare sustineat, ut aqua ac  
 tranquilla mente vitã hanc relinquat? Hanc enim,  
 ærumnos à licet hac tempestate, ita multi amplectun-  
 tur, ac si perpetim ipsis hic manendum esset, nec ulla  
 melioris

in melioris vitae spes restaret. Invenias è diverso alios,  
qui tot calamitatibus fracti, ad mortem tadio vita  
impetu quodam currunt, eamq; nimio mortis desi-  
derio, vel ferro etiam in viscera adacto, aut alia ra-  
tione accelerant. Utriq; pessimè: Sed ut ad primum  
genus hominũ revertamur, non opus est ut exemplis  
ex cana antiquitate petitis id comprobemus, multi  
id suo exemplo nostra memoria testati sunt, qui obli-  
scantes ac murmurantes, imo desperantes ex hoc  
mundo discesserunt. Eadem ferè exuperat, quod de  
Montismarini Praefecto, natione Gallo narrat  
Thuanus, qui supplicij militaris metu adeo cõcussus, l. 11. hist. 1  
Et è statu mentis dejeetus fuit, ut sanguineum sudo-  
rem metu mortis fundere visus fuerit: quibus simi-  
lima narrat alibi, de Florentino quodam juvene l. 82. hist.  
quem levi de causa ultimo supplicio affici manda-  
verat Sixtus quintus Pontifex. Nec minus prodigio-  
sum, quod de Henrico quodam Anglo idem narrat, l. 13. hist.  
quod, cum conjurationis contra Mariam Reginam  
initia reus perageretur, fortè præter meritum, Et ad  
mortem damnaretur, proximâ nocte totus repente  
incanuerit. Adeo verum est illud Mortis encomiũ l. 3. Eth. c. 9.  
Aristotelicum, quo omnium terribilium terribilissi-  
mum indigitatur, certè iis, qui Spiritus Sancti donis  
destituti, Et presentis vitae delinimentis victi, brevi  
ævo ac vita spatia spes suas omnes includunt. quan-  
tò consultius verò faciunt illi, qui non nimis de pro-  
ducen?

Eph. 3. v. 13.

1. Cor. 7. v. 31.

Epist. 11.

ducēda vita solliciti, hoc quotidie meditatur, ut equo  
animo vitā quandocumq; Deus voluerit, relinquāt,  
qui depositis vita hujus sollicitudinib. vitam sibi fa-  
ciunt jucundā; qui ea quae retro sunt, obliuiscuntur,  
ad ea verò quae à fronte sunt, enituntur; qui ita utun-  
tur mundo ac si non uterentur, qui ita ordinant dies  
suos, tanquam quilibet agmen cogat & consummet  
vitam. Et praepriis hac tempestate meditationib.  
ejusmodi indulgere oportet liberiùs, quā innumera  
hominum multitudo, ferro, fame, peste, aliisq; mor-  
borum generibus ocys consumitur, quā multos qui  
ante biduum prospera usi sunt valetudine violentia  
morbi, nullas inducias concedentis, citò confectos  
derepente cōcidisse vidimus. Pacuvius qui Syriam  
suam fecit (utor exemplo Seneca) cum vino & fu-  
nereis epulis sibi parenta verat, sic in cubiculum fe-  
rebatur à cœna, ut inter plausus hoc ad symphoniam  
caneretur, *Beßione, Beßione, nullo nō die se extulit.* Hoc  
ille, pergit Seneca, ex mala conscientia faciebat, nos  
ex bona faciamus. Crastinum si adjecerit Deus, le-  
ti recipiamus. Ante omnia vero haec & alia ex Offi-  
cina Spiritus Sancti deprompta, eò attentius rumi-  
nanda sunt, si quando fores nostras Deus pulset, &  
valetudine aduersa, quae mortis nuntius est, somnū  
securitatis & amorem figura mundi hujus nobis ex-  
cutere velit, ut dicto Imperatoris nostri audientes,  
atq; in ipsius voluntate placidè acquiescentes, lati  
ipsum

ipsū sequamur, quocumq; vocaverit. Tanta in Tur-  
corum licet barbara gente Imperatoris est reveren-  
tia, ut nemo contra ipsius sententiam hiscere audeat,  
sicut de Mahomete Mustapha filio refert Thua-  
nus, quod cum laqueo sibi pereundum esse præter o-  
mnem spem audiisset, nō ut Imperatoris, sed ut Dei  
hoc iussum se accipere, eiq; parere se paratum esse di-  
xerit, & cum dicto laqueo collum præbuerit. Aho-  
mates purpuratus accepto in sperata atq; immerita  
mortis nuntio in ipso Divano, tanta constantia usus  
est, ut nullum animi consternati, aut emota mentis  
signum ediderit, sed amicum rogavit, ut hoc munere  
defungeretur, quo amici manu periret. quanto ma-  
gis nos, qui Spiritus Sancti primitias habemus, si Cre-  
ator noster ex arumoso hoc ergastulo evocet, mo-  
rigeros esse oportet nec obmurmurare Deo vocanti,  
sed æquo ac tranquillo animo inevitabilem illam ho-  
ram præstolari? Exemplo nobis prævit Vir - Juve-  
nis Doctissimus atq; Ornatissimus, Dn. CHRISTIA-  
NUS THEODORUS, alias Dittich / Juris, dum hic  
vixit, cultor indefessus, qui parentum partim moni-  
tu, partim exemplo, ad pietatis exercitia à cunis, ut  
ajunt, manu ductus, hisce & similibus meditationi-  
bus in ipso licet ætatis flore vacavit. Nam cum die  
20, lapsi Mensis Maii in lectulum se reclinasset, sa-  
nus ut videbatur, & sequentis diei hora tertia ante-  
meridiana aliquantum sanguinis ejecisset, à Deo ul-

l. 12. hist.

Thuanus l. 24.

A 3 timam

timam sibi necessitatem denunciari statim intellexit, ac seposita curâ longioris vita, ad beatâ ἀνάλυσιν, non in consulto quodam animi impetu, nec presentium malorum tadio, aut vitæ odio, sed melioris vitæ desiderio, ac Divina voluntatis implenda studio, adspiravit. Sed nos, uti receptum, breve vitæ ipsius curriculum brevibus percurramus.

Pro sapiam THEODORI nostri quod attinet, ea nec nova, nec obscura, sed longa serie in celebri Gorlicensi urbe fulsit. Pater, avus ac Proavus Viri Reverendi & Clarissimi, ac de Ecclesia Christi optimè meriti: Pater Dn. M. ELIAS THEODORUS sedulus quondam academia nostra & benemoratus alumnus summum in Philosophiâ gradum A. C. 1603. ab Amplissimo Philosophorum Ordine in Decano, unâ cum aliis XII. viris - juvenibus virtutis & doctrina sua merito obtinuit, & Primarius Ecclesia Gorlicensi Pastor; cui cognominis & in eadem dignitate constitutus fuit Avus nostri Defuncti paternus. Eodem, quod mirum ac perrarum, honore fulsit Proavus Dn. M. BALTHASAR THEODORUS. Mater a. defuncto obtigit Matrona pietatis & omnigenæ Virtutis laude conspicua DOROTHEA Wannin. His Clarissimis Parentibus profatus est defunctus Anno Salutis supra millesimum sexcentissimum decimo octavo die 26. Martij styli novi circa horam sextam matutinam, Christoq; in sacro lavacro consecratus à Christo Christiani nomen tulit. Cumq;



matura aetas primis literarum rudimentis videretur,  
in schola patria Praeceptoribus clarissimis, quibus  
aeterna cum Urbis laude Gymnasium Gorlicense sem-  
per scatet, perpoliendus atque literis imbuendus tradi-  
tus est, ubi procedente aetate ad omnem ingenij cul-  
tum, ac morum elegantiam, pietatem imprimis, quae  
omnis Sapientiae fons est, eruditus est. Tantaque de-  
prehensa fuit in eo ingenij felicitas & in laboribus  
perferendis tolerantia ut novendecim annos natus,  
in humanioribus artibus fundamenta fideliter jecis-  
se videretur, & a Praeceptoribus dicti Gymnasij di-  
gnus judicaretur, qui eruditionis suae, in schola pa-  
tria feliciter hausta, specimina in Academiis ederet,  
& uberiori Superiorum praecipuis scientiarum cul-  
tura subderetur. Ablegatus igitur in hanc Academiam, anno  
superiore mense Majo, omnibus viribus eò annisus est, ut Ju-  
risprudentiae, cui se devoverat, fundamenta fideliter jaceret,  
Reipublicaeque aliquando operam impenderet. Nec enim dicis  
gratia hic vixit defunctus, nec tempus illud per exiguum otio &  
silentio transegit, sed, quam diu hic commoratus, pietatis ex-  
ercitiis ac Jurisprudentiae studio impalluit, publicas lectiones non  
neglexit, & in privatis collegiis quae auscultando, quae disputan-  
do se exercuit, optimamque spem Parentibus ac amicis suis fecit,  
fore ut non inutile aliquando nutantis ac labentis Reip: mem-  
brum imò fulcrum esset futurum. Verum Divina Majestati, cu-  
jus in Providentia libro omnes dies nostri descripti extant, ali-  
ter visum. Nam ante aliquot Septimanas ex anibematum mor-  
bo, quo infantes non solum, sed & adultiores, imò senes lapsi vere  
plurimum infestatos scimus, aliquam diu decubuit: Verum be-  
neficio Dei animas nostras è fovea. Nihil eruentis, & subsidio  
Dominorum Medicorum, recreatus ac sanitati restitutus est.

Esa. 38. v. 4.

Ad vadium tantum dilatio hac fuit. Secutus est enim Affe-  
 ctus longè gravior  $\alpha\mu\delta\alpha\pi\tau\omega\iota\varsigma$  scilicet sive sanguinis ejectione, quae  
 teste Hippocrate, qualiscumq; sit, mala esse solet. Hac cum pri-  
 mum infestaretur die videlicet Maij 21. ad extrema se statim  
 preparavit; praepriis autem Sacrosancta Eucharistia viatico  
 ad ultimum iter se instruxit, postea de exequiis sibi ducendis non-  
 nulla Dominos contubernales, cum quibus, intimè vixit, monuit,  
 nec non qua denunciari vellet parentibus suis. Nonnulla & li-  
 teris consignavit, demum ultimum ietum bene composita mente  
 expectavit. At & hac praeter, naturalis ejectione summa diligen-  
 tia Dominorum Medicorum debellata est, ut spes non exigua  
 plena sanitatis recuperanda affulgeret: sed successit tandem  
 affectus longè omnium periculosissimus, quem Catarrhum vo-  
 cant suffocativum, qui ex angue ac debilitatum THEODORI  
 nostri corpus planè prostravit ac spiritum ipsum interclusit, at-  
 que elisit, cum prius Christo Redemptori suo hisce verbis animulam  
 suam commendasset. Ah Domine JESU recipe me in Tu-  
 am gloriam, cujus voti paulo post particeps factus circa ho-  
 ram nonam matutinam, ac in caelestem gloriam translatus,  
 vexari laborare imo mori desit, deq; malis omnibus victis jam  
 latus triumphat, postquam aetatis suae in hac miserarum valle  
 transactae, annum vigesimum primum vix à limine salutavit.  
 Postremum à Vobis, Officium Civis omnium Ordinum honorati-  
 ssimi, piè defuncti reliquia expectant, id ut defuncto debita cū  
 frequentia impertiatis, cū Majores, tum vel maximè Paren-  
 tes maestissimi, quorum dolori exprimendo nemo, nisi eo sit loco,  
 par est, & qui illos repraesentat, Vir Juvenis Praestantissimus ac  
 Doctissimus Dn. BALTHASAR THEODORUS SS. Theol.  
 Candidatus defuncti frater, Jure suo postulant Beneficium  
 qui digno dat, dando accipere nostis. Adeste igitur celebratissi-  
 mis edibus Pelargianis & defuncto charitatem, Parentibus  
 vero & consanguineis  $\sigma\upsilon\mu\pi\iota\delta\alpha\alpha$  Haec, nobis obsequium honorificum  
 funeris deductione ut soletis contestamini. B. U.

J. B. D.



Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1006923 3